

Et hac eadem die Johannes Hus^{a)} Wicleffista, quia in domo, in qua Constancie hospitatus erat, doctrinam reprobam Wyclef docimatizabat ad eum accendentibus ibidemque convenientibus et monitus super hoc desistere nolebat, per d. nostrum papam habita superinde deliberacione, magis districtus est, ne doctrinam illam docimatizaret amplius, d. episcopo Tridentino, d. Frederico episcopo Augustensi et d. Ottobono decretorum doctori oratoribus regis ac magistro civium et consulibus civitatis Constancie ad id consencientibus eumque Johannem Hus ad presenciam d. nostri pape dominorumque cardinalium personaliter ducentibus, reclamante tamen et conquerente de hoc quodam milite, qui dictum Johannem Hus Constanciam duxerat, ac dicente, quod d. noster papa eidem Johanni Hus salvum conductum dederat, quod quidem papa negavit. Propter tamen querelam et verba dicti militis noluit d. noster papa, quod predictus Johannes Hus in palacio apostolico pernoctaret. Alibi ergo positus est et detentus sub custodia d. episcopi Lau sanensis cameram regentis.

Eadem die redivit a d. rege Romanorum d. Henricus Lazen-
buch et portavit nova certa de coronacione ipsius d. regis d. nostro
pape sacroque collegio et litteras infrascriptas:

Sanctissimo in Chr. patri . . . Cum debitorum nostro-
rum . . .¹⁾

Die sabbatis prima mensis Decembris de mandato d. nostri
pape Johannis XXIII. congregatis d. cardinalibus, prelatis, pro-
curatoribus dominorum et aliis in sacro concilio Constancensi exi-
stentibus deputati et electi sunt duodecim cardinales, prelati et
magistri deputati^{b)}, inter quos fuerunt rev^{mi} p. d. Cameracensis,
s. Marci, de Branchaciis et Florentinus s. R. e. cardinales et rev. p.
d. frater Antonius de Pereto ordinis Minorum et magister Leo-
nardus de Florencia ordinis Predicotorum generales ministri et alii
ad examinandum Iohannem Hus Wyclefistam eiusque libros et doc-
trinam reprobam.

Eadem die rev. in Chr. p. d. episcopus Ratisponensis cum pul-
cerrimo apparatu ingressus est.^{c)}

Die martis quarta mensis Decembris ingressi sunt Constan-
ciam d. archiepiscopus Rigensis^{d)} cum aliis dominis de Prusia cum
decem sive undecim curribus et pulcerrimo apparatu.

a) C: Huss (so ständig). b) B, C Ablativ. c) Satz fehlt C. d) C: Riensem, so ur-
sprünglich auch B.

¹⁾ Reichstagsakten VII, 239—41.